



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab Anno 1746. usque ad  
Annum 1749

**Luxemburgi, 1753**

XIX. Firmanæ Congregationi, quoad Gubernium tam Politicum, quàm  
Oeconomicum Civitatis & Comitatus Firmi, privata jurisdictio tribuitur. 6.  
Septembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74761](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74761)

Conciliis editis, vel edendis, nec non, quatenus opus sit, de non tollendo jure quaesito, aliisque Cancellariae Apostolicae Regulis, Statutis quoque, etiam juratis consuetudinibus, etiam diuturnis, & immemorabilibus, dictarum respective Ecclesiarum, nec non licentiis, privilegiis, & indultis etiam Apostolicis, eisdem Ecclesiis, earumque Praefulis quomodolibet haec tenens concessis, omnibusque & singulis aliis, quae praedictis Urbanis suarum Literarum firmitati, & executioni voluit non obviare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem eadem praesentes, & in eis contenta quaecumque, ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis illorum ignorantiam praetendere possit; volumus, quod eadem praesentes per aliquem, seu aliquos ex Curatoribus Nostri ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, ac Cancellariae Apostolicae, & in Acie Campi Florae de Urbe publicentur, & earum copia ibidem affigantur, & affixae reliquantur, quae sic publicatae, & affixae omnes & singulos, quos concernunt, arceant & afficiant, non secus ac si eorum unicuique personaliter intimatae, & notificatae fuissent; quodque earundem praesentium Transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus Fides adhibeatur in Judicio, & extra illud ubique locorum, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibita, vel ostensa.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostri Ordinationum, Constitutionum, Derogationum, Praeceptorum, Statutorum, & Decretorum infringere, seu eidem ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae MDCCXLVI, tertio Nonas Septembris, Pontificatus Nostri Anno VII.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA

I. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✕ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 20. Septembris 1746.

XIX.

Firmanae Congregationi, quoad Gubernium tam Politicum, quam Oeconomicum Civitatis & Comitatus Firmi primitiva jurisdictione tribuitur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

PATERNI prorsus studii, quo Civitatem nostram Firmam, ejusque Comitatum, & Incolas universos, pro imposito Nobis desuper Supremi Principis officio prosequimur, haud leve argumentum edidimus sub ipsum Pontificatus nostri initium; quum per Nostri in forma Brevis Literas datas die xx. Septembris Anno MDCCXL., Congregationis Firmanae nuncupatae, quae ad illius Civitatis & Comitatus negocia in Romana Curia & Urbe cognoscenda a dirigenda, a Praedecessoribus Nostri Romanis Pontificibus erecta fuerat, novam utilioreque formam constituimus, immutato veteri ipsius statu,

quo permanente, nec satis promptam fore, nec adeo proficuum, ut par erat, hujusmodi negotiorum & Casuum tractationem expeditionemque judicavimus. Ex qua sane providentia Nostri dispositione quum uberiora in dies emolumenta ad optimum ipsius Civitatis & Comitatus regimen provenire dignoscantur, non illud tamen sequutum est, ut omnino sublata fuerit vetus quaedam controversia, quae dudum vigeat inter eandem Civitatem Firmanam ex una, & nonnullas Communitates Castrorum & Locorum ipsius Comitatus ex altera parte, super eo, an cognitio negotiorum Oeconomicorum tum ipsius Civitatis, tum Communitatum hujusmodi, ad praefatam Congregationem Firmanam privatim spectaret, vigore facultatum a san. mem. Praedecessore Nostro Innocentio Papa XII., in Literis super ipsius erectione die tertia Januarii Anno MDCXCII. emanatis, ipsi concessarum; seu vigore subrogationis hujusmodi Congregationis in locum Cardinalium Nepotum, sive aliorum Consanguineorum Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum, quibus ejusdem Civitatis & Comitatus Gubernium, & omnimoda in eam, eumque jurisdictione per duo ferme saecula demandari, ac respective ab iisdem plenissime exerceri consueverat; an vero ad aliam Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium super Bono Regimine Communitatum Status Nostri universi deputatae, privatim potius pertineret, vigore amplissimarum facultatum, quae tam a felic. recordat. Clemente Papa VIII. Praedecessore pariter Nostro in Bulla erectionis ejusdem Congregationis, quam a sim. mem. Paulo Papa V., & Clemente Papa XI. eidem Congregationi tributa fuerunt, dum per suas respective Literas illius jurisdictionem quoad Communitates ejusdem Status Ecclesiastici in genere asseruerunt, seu declararunt, aut ampliarunt.

Quamvis enim in praedicta Civitate Firmana certus quidam Officialis existeret, Commissarius Tabellista nuncupatus, a Romano Pontifice, seu pro rerum circumstantiis, & pro collationis modo, ab ipso Firmanae Congregationis Praefecto ad hoc deputatus, ut revisis & examinatis, sub directione Gubernatoris pro tempore existentis, tam ipsius Civitatis, quam aliarum Communitatum de praedicto Comitatu, reddituum & expensarum Tabellis, eas in Urbem transmitteret ad praedictam Congregationem Firmanam; cujus esset opportuna Decreta & Mandata super earum Communitatum Oeconomico regimine condere & expedire; Nihilominus praefatae Communitates Locorum & Castrorum de Comitatu, sive ex praetensis gravaminibus in hujusmodi Tabellarum examine sibi aliquando irrogatis, sive ex peculiaribus quibusdam exemplis, quibus constabat praedictam Congregationem Boni Regiminis, pro extraordinariorum quorundam onerum repartitione & exactioe, aliquos jurisdictionis actus exercuisse, variaque Decreta edidisse, ad Oeconomicum ipsius Firmanae Civitatis, & Castrorum statum aliquo modo pertinentia; saepe detrecharunt rerum suarum status atque Tabellas praedicti Commissarii, atque etiam Gubernatoris, ipsiusque Congregationis Firmanae iudicio & examini subicere, eorumque mandatis obtemperare; contententes, ad solam Congregationem Boni Regiminis hujusmodi Oeconomicorum negotiorum cognitionem spectare: Quae controversia pluries agitata, non sine Partium dispendio, & negotiorum confusione ac detrimento, nunquam tamen omnino dirempta, aut definita fuerat.

Cumque eadem quaestio nuper, occasione peculiaris ejusdem casus, iterum exorta, atque

Status controversia.

Quae advocatur ad Sanctissimum, &c.

Publicationis vis, & exemplorum auctoritatis.

Sanctio.

Dat. Pontificatus Anno 7. die 3. Septembris 1746.

Congregatio Firmana a Pontifice instituitur.

1746.  
ad Signaturam Gratia.

acerrimis Partium studiis redintegrata esset; visum est Nobis totam hujus materiae cognitionem supremo iudicio Nostro reservare, eamque in Signatura Gratia, cum consilio dilectorum Filiorum ejusdem Signaturae Vorantium, & Partibus plenè auditis, perpetuò atque irrevocabiliter definire. Quamobrem hujusmodi causam in statu, & terminis ad Nos & ad Signaturam praedictam advocatam, per Decretum a dilecto filio Magistro Clemente Argenvillieres Auditore Nostro editum; transmissaque pro parte Civitatis Firmanae opportuna Commissione; cum utraque Pars omnia documenta & exempla in rem suam collegisset, suasque rationes tam in scriptis, quam oratenus per suos Defensores, & Advocatos Nobis exposuisset; Nos demum in praedicta Signatura Gratiae coram Nobis habita die XIX. elapsi mensis Julii, auditis dictorum Vorantium suffragiis, omnibusque mature pensatis, decrevimus, & pronunciamus: *Gubernium tam Politicum, quam Oeconomicum Civitatis & Castrorum Firmi privativè spectare ad Congregationem Firmanam.*

Resolutio.

Gubernium Politicum, & Oeconomicum Firmi, & Comitatus, Firmanae Congregationi privativè tribuitur.

Cujus porro Resolutionis & Rescripti Nostri perpetuae firmitati consulere, ac simul praedictae Congregationis Firmanae facultates amplius atque distinctius declarare volentes, praesentium Literarum tenore, ac Motu proprio, & ex certa scientia, meraque deliberatione Nostri, eidem resolutioni inhaerentes, statuimus & declaramus, Gubernium tam Politicum, quam etiam Oeconomicum Civitatis Firmanae praedictae, ac Civium, & Incolarum, nec non Territorii & Districtus totius Comitatus, ejusque Castrorum, Terrarum, atque Locorum, antedictae Congregationi Firmanae privativè quoad quoscumque alios omnino competere; itaut quemadmodum per declaratam voluntatem praefati Praedecessoris Innocentii Papae XII., in supra relatis ipsius Literis distinctè expressam, ad ipsam Congregationem Firmanam, in Gubernio Politico ejusdem Civitatis & Comitatus, similis, atque eadem planè potestas, auctoritas, & jurisdictionis, omnesque & singulae competunt facultates, quae quoad universum Statum Nostrum Ecclesiasticum ad Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium super Consultationibus negotiorum ejusdem Status Ecclesiastici deputatam competere dignoscuntur; ita etiam hujus Nostrae declarationis vigore, & expressa praesentium Literarum sanctione, eidem Firmanae Congregationi, in Oeconomico praefata Civitatis universique Comitatus Gubernio & Regimine, omnes pariter & singulae facultates, eademque jurisdictionis, auctoritas, & potestas, quae ad Congregationem etiam Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium super Bono Regimine & administratione reddituum Communitatum Ditionis Ecclesiasticae deputatam, quoad gubernium Oeconomicum hujusmodi, juxta felic. record. Clementis Papae VIII., Pauli Papae V., & Clementis Papae XI., ac aliorum Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum concessionem, seu declarationem, quomodolibet spectant & pertinent, pari modo & absque ulla prorsus differentia spectent atque pertineant, atque ab ipsa in omnibus & per omnia plenissime exercentur.

Et aliis Congregationibus, seu Tribunalibus inhibitorum, cum avocatione causarum sub poena nullitatis.

Quamobrem antedictis Congregationibus, nimirum Consultationibus & bono Regimini hujusmodi praepositis, utrumque Gubernium praedictum quoad dictam Civitatem Firmanam, ac Cives, & Incolas: necnon Territorium, & Districtum totius Comitatus, Terrasque, Castra, & Loca ejusdem, harum serie expressè interdictentes; volumus, praecipimus, & mandamus, eisdemque & aliis quibuscumque etiam praedictae S. R. E. Cardinalium Congregationibus, necnon

quibuscumque aliis Judicibus, & Tribunalibus districtè inhibemus, nè in alterutro Civitatis & Comitatus praedictorum Gubernio, neve in utrumvis concernentibus Causis Politicis, Criminalibus, aut Oeconomicis, sub quocumque praetextu, colore, occasione, vel causa, sese quoquo modo immiscere vel ingerere, etiam de consensu Partium, ullo unquam tempore audeant seu praesumant; ideoque omnes & quaecumque causas, lites, & controversias ad alterutrum hujusmodi Firmanae Civitatis & Comitatus Gubernium pertinentes, tam motas, quam movendas, atque etiam ex nunc coram alio quolibet Judice, Tribunali, aut Cardinalium Congregatione ceptas & contestatas, in quocumque statu reperiantur, auctoritate & tenore praedictis, ab ipsis avocamus, praedictaeque Firmanae Congregationis cognitioni & iudicio remittimus. Ac si quid in posterum adversus praemissa quavis in parte, per quancumque ex memoratis Congregationibus, seu quemcumque alium Judicem, aut Tribunal, etiam, ut praefertur, de consensu Partium, fieri, ordinari, decerni, vel judicari contigerit, tanquam privativi juris & jurisdictionis ipsius Firmanae Congregationis laesum, ex insanabili defectu jurisdictionis prorsus nullum, nulliusque roboris aut momenti fore statuimus & declaramus.

Quoniam verò contingere potest, prout antea dictis temporibus aliquoties contigit, ut Romanus pro tempore Pontifex praedictae Congregationi Boni Regimini specialem aliquam Commissionem, pro aliqua generali repartitione super omnibus Communitatibus universi Status Ecclesiastici statuenda, aut pro alia quapiam Oeconomica provisione, dirigat atque demandet; ut in casu, & casibus hujusmodi, omnia rite ac debito ordine procedant, per easdem praesentes etiam decernimus & declaramus, licitum fore praedictae Congregationi Boni Regimini, illiusque Praefecto, in vim talis Pontificiae Commissionis statuere quotam, seu quantitatem, pro qua Civitas Firmanae, & universus Comitatus praedictus, cum caeteris Communitatibus dicti Status Ecclesiastici concurrere debeant: hoc tamen statuentes, ut divisio & distributio ipsius quotae, seu quantitatis, nec non executio repartitionis a Congregatione Boni Regimini, ut supra, facta, ad praedictam Congregationem Firmanam, illiusque Praefectum omnino spectet, atque pertineat; ita ut quaecumque Ordinationes vigore peculiaris hujusmodi Pontificiae Commissionis pro tempore factae, a praedicta Congregatione Boni Regimini, ejusque Praefecto, eidem Congregationi Firmanae dumtaxat, nullatenus autem Gubernatoribus Localibus, multoque minus Communitatibus Civitatis Firmi, ac Castrorum, Terrarum, & Locorum Comitatus ejusdem, dirigantur, & dirigi debeant: Eisdem planè methodo, ratione, & forma, quae cum S. R. E. Cardinalibus de Latere Legatis, pro Civitatibus, Castris, Terris, & Locis in Provinciis eorundem Cardinalium Legatorum jurisdictioni subjectis existentibus, observantur.

Ut verò deinceps Civitas Firmanae praedicta, ejusque Comitatus, tam in his, quae ad Politicum, quam quae ad Oeconomicam procuracionem spectant, felicius & utilius gubernentur, per easdem praesentes volumus & mandamus praefatam Congregationem Firmanam semel singulis mensibus in Aedibus ipsius Cardinalis Praefecti omnino congregari. Ipsius autem pro tempore Secretario statuimus non licere sine ejusdem Congregationis voto aliquam definitivam resolutionem capere, aut ad aliquod Decretum, quod per definitivam reparari nequeat, devenire; praesertim si aliqua ex Partibus petat, aut profiteatur in actis: *Nihil fieri, nisi*

Methodus servanda a Congregatione Boni Regimini in Commissionibus specialibus.

Congregatio Firmanae singulis mensibus habenda.

De facultatibus Secretarii.

facto

Clausula  
preservati-  
va.

*facto verbo in plena Congregatione.*

Denique super controversia superius enun-  
ciata, atque a Nobis, ut praefertur, solempni-  
ter ac peremptorie definita (cujus statum &  
merita a Nobismetipsis accuratè discussa, ac Ju-  
dicium, Tribunalium, & Colligantium nomi-  
na, aliaque etiam necessariò exprimenda, præ-  
sentibus pro plene & sufficienter expressis haberi volumus) perpetuum Partibus silentium im-  
ponimus, atque os ocludimus; praesentesque  
Literas semper firmas, validas, & efficaces esse  
& fore, suosque plenarios, & integros effectus  
fortiri & obtinere decernimus, nec de subre-  
ptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu  
intentionis Nostræ, aut interesse habentium con-  
sensus, aliove quolibet etiam substantiali, ac  
formali, necessariamque expressionem requi-  
rente defectu notari, impugnari, infringi, re-  
tractari, aut in controversiam vocari, vel ad  
terminos juris reduci ullatenus unquam posse;  
Sed sic & non aliter in praemissis per quoscum-  
que Judices Ordinarios & Delegatos, etiam  
Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E.  
praedictæ Cardinalium Congregationes, alio-  
que Cardinales etiam de Latere Legatos, Vi-  
celegatos, & Sedis Apostolicæ Nuntios, &  
alios quoslibet, quacumque præcinentia & po-  
testate fungentes & futuros, sublata eis &  
eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & in-  
terpretandi facultate & auctoritate, judicari &  
definiri debere, ac irritum & inane, si secus  
super his a quoquam quavis auctoritate scienter  
vel ignoranter contigerit attentari.

Decreta irri-  
tantia.

Derogatio-  
nes.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra  
& Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure qua-  
sito non tollendo, ac quibusvis aliis Apostoli-  
cis generalibus, vel specialibus Constitutioni-  
bus & Ordinationibus, nec non etiam, quate-  
nus opus sit, dictæ Civitatis Firmanae, & Co-  
mitatus praedicti, ejusque Castrorum, Terrarum,  
atque Locorum, aut aliorum quorumvis, etiam  
juramento, confirmatione Apostolica, vel qua-  
vis firmitate alia roboratis statutis, filiis, usi-  
bus, & consuetudinibus, etiam immemorabili-  
bus, privilegiis quoque, indultis, facultatibus,  
& Litteris Apostolicis memoratis Boni Regi-  
minis, & super Consultationibus, aliisque S. R. E.  
Cardinalium Congregationibus, etiam in limine  
earum respectivè institutionis, nec non quibus-  
vis aliis Tribunalibus, etiam Collegialibus, ac  
Personis, & Locis, sub quibuscumque verborum  
tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam  
derogatoriarum derogatoris, aliisque effica-  
cioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis,  
irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel  
in specie, seu aliis quomodolibet in contra-  
rium praemissorum concessis, confirmatis, &  
innovatis: Quibus omnibus & singulis, etiamsi  
pro illorum sufficienti derogatione de illis,  
eorumque totis tenoribus specialis, specifica,  
expressa, & individua, ac de verbo ad verbum,  
non autem per clausulas generales idem impor-  
tantes, mentio, seu quavis alia expressio ha-  
benda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc  
servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de  
verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & for-  
ma in illis tradita observata, exprimerentur &  
insererentur, praesentibus pro plene & sufficien-  
ter expressis ac insertis habentes, illis aliàs in  
suo robore permanens, ad praemissorum effe-  
ctum hac vice dumtaxat specialiter & expressè,  
ac latissime & plenissime, motu ac scientia præ-  
dictis, ac de potestatis Nostræ plenitudine de-  
rogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam  
hanc Nostræ statuti, declarationis, præcepti,  
mandati, decreti, derogationis, & voluntatis  
infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si  
quis autem hoc attentare præsumperit, indi-

gnationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum  
Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit in-  
cursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem  
Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVI,  
8. Idus Septembris, Pontificatus Nostræ Anno VII.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA

I. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✕ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Literæ jam editæ adversus Confessarios exqui-  
rentes a Pœnitentibus Complicum nomina,  
confirmantur, & ampliantur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei  
memoriam.*

AD eradicandum pravum zizanii semen, quod  
ab adversario generis humani in Agro Do-  
minico sparsum, per Lusitaniam primùm Regio-  
nes pullulare compertum fuerat; ubi nimirum  
apud nonnullos Confessarios, in administrando  
Sacramento Pœnitentiæ, perversa quædam & ab-  
surdæ praxis, Ecclesiasticis Regulis contraria,  
eidemque Sacramento injuriosa, & ad averten-  
dos Fideles ab ipsius salutifero usu quam maxi-  
mè tendens, introduci cœperat; pro imposito  
Nobis vigilandi debito, Apostolicas in forma  
Brevis Literas direximus Venerabilibus Fratribus  
Archiepiscopis, & Episcopis, per Portugalliam &  
Algarbiorum Regna atque Ditiones constitutis,  
quas deinde per alias Nostras sub plumbio ex-  
peditas Literas, nuper, quarto nimirum Nonas  
elapsi mensis Junii, confirmavimus & innovavi-  
mus, adjectis nonnullis ordinationibus & decla-  
rationibus, quas ad meritas penas tam delin-  
quentibus, quam contrarium tenentibus, sive  
docentibus, irrogandas, & ad rectum adversus  
eos procedendi ordinem in praedictis Regnis,  
& Ditionibus servandum, opportunè expedire  
in Domino judicavimus.

Earum autem Literarum, quas ad hujusmodi  
erroris & abusus reprobationem primùm edidi-  
mus, hic tenor erat:

*Sequitur integer tenor Literarum Sanctissimi Do-  
mini Nostræ relat. in Tom. XVI. Constit. CXXXIV.  
fol. 304. & 305.*

Quoniam verò nullam Pastoralis vigilantia  
cauteam superflua esse ducimus, ubi de Fi-  
delium animarum pernicie, deque subvertenda  
sanæ doctrinae integritate, & recta Sacramen-  
torum administratione, periculum subesse du-  
bitetur; neque verò ignoramus, alibi quoque  
auditas esse pœnitentium querelas de importu-  
nis nonnullorum Confessariorum perquisitioni-  
bus, pro investigandis complicum nominibus,  
aliisque notitiis, juxta praxim in praesentis  
Nostris Apostolicis Literis relatam atque dam-  
natam; erroneas verò quorundam Doctorem  
hac de re opiniones, vel pravas aliorum rectè  
opinantium interpretationes & applicationes, in  
eisdem Literis enunciatas, aliquibus arridere;  
nec satis eliminatas reputari per ipsas præmis-  
sas Literas, quas, utpotè ad Lusitaniam Regnorum  
atque Ditionum opportunitatem accommodatas,  
& pro iisdem solummodo emanatas, generalis de-  
finitionis, & legis vim auctoritatemque habere,

Dat. Pont.  
An. VII. die  
6. Sep. 1746.

XX.

Abusus in  
administran-  
do Pœnitenti-  
æ Sacra-  
mento in-  
ductus.

Aliis Literis  
Sanctissimi  
Domini No-  
stræ damna-  
tus fuit.

Dictarum  
Literarum  
confirmatio  
necessaria.